

Galliam citeriorem venisset, Maximiliani Sfortiae Ludovicii filii, qui se Mediolanum inferebat, socius comesque itineris fuit. Eo ingressu peracto, Hispani Tretium, in Abduae ripa oppidum, commeatu, pecunia, rebusque omnibus munitissimum, quod a Gallis tenebatur, vi & immani tormentorum verberatione captum diripuerunt. Julius interim Maximiliani obsequio amicior ei factus, qui suas copias Ferraria statim avocaverat, ut ei satisficeret, Staphilaeum Romani fori litium ministrum Venetias misit Patres hortatum, ut fœderis conditiones acciperent: tametsi jam nonnihil pœnitentia ducebatur, se in eos tam durum tamque illiberalem fuisse. quod mehercule cum improbari maximorum hominum sermonibus intellectuisset, qui dicerent, eam rem occasionem Venetis daturam, ut se cum Gallis conjungerent, eosque in Italiam adducerent, quos ab Italia expellere Julius in primis nitebatur: in dies singulos ejus rei merore magis magisque distractus, neque cibum, neque somnum capere poterat. Itaque febri tentari cœptus est: qua in febri cum Pisauri oppidum Metaurensium duci fratris sui filio tradidisset, & Cardinalium collegio Urbem remque publicam Christianam commendavisset, undecimo calendas martias mortem obiit. Senatus Cardinalium collegio literas dedit, orans obtestansque eos, ut in eligendo Pontifice totius orbis beneficio consulerent: suasque opes omnes & exercitus ad eos juvandos est pollicitus. qui cum se in conclave more majorum intulissent, Bernardi Bibienæ amabilissimi hominis magna ex parte studio, consiliis & prensationibus diligentioribus permoti, Joannem Medicem, annos natum triginta septem, Pontificem Maximum creaverunt. isque priusquam e conclavi exiret, me, & Jacobum Sadoletum, qui Romæ tunc eramus, sibi ab epistolis adscivit.

*Julii II.  
obitus.*

*Leo X. Pon-  
tifex crea-  
tur  
V.id mart.*

F I N I S.

H h